





1784.

1. Berolinus, Gott. Christianus : De Lite hereditis cum possessore singulari.
2. Berolinus, Gott. Christianus : De negotiis, quae a muliere sive curatore in Fennia expediti possunt.
3. Berolinus, Gott. Christianus : De eo, quod iustum est in prærogationum collidione
4. Berolinus, Gott. Christianus : De processuario pro. Cjmu ea abuso iure feudalium Tongobrandii
5. Berolinus, Gott. Christianus : De pacto successorio cum paucaliter persona interante
6. Berger, Christoph Henricus, de : Ordinis Jurisperitorum Decanus : Et assertationem . . . conditio
Dr. Augusti Beckeri . . . invitata.
7. Berger, Christ. Henr., de : Ordinis iure Consule-
torum Decanus : Et assertationem inauguenda.

Dr. Christiani Stahlkoppfi - - invitat
 8. Chledenius, Iohes Georgius : De jure exequent
 in febris praesertim imperii specialiumq[ue] ^{Strozzi}
 9. Chledenius, Iohes Georgius : De jure auctoritatis
 speciebus et ceteris praestans solito.
 10. Cordes, Iohes Georgius : De suspectis mathemati-
 tis speciebus astronomia originalibus.
 11. Crotius, Christop. Andre : De sigillaribus Tituli
 sacris.
 12. Dickerich, Ihes. Gottlieb : De iteratis imperia-
 torum coronacionibus Germanicis
 13. Henricius, Christianus : Manusule Iohannem
 LVII. ex installatione, Iohannem praenunt
 ac titulo de jure et iure ecclesiasticis

- 13⁵. Hanauer, Christian: Manipulus II. Henricum LX.
ex sacerdotis omnium Justiniani titulo de jure naturae
gentium et ciuitatis oratione.
- 13⁶. Hanauer, Christian: Manipulus III. Henricum
LX. ex sacerdotis omnium Justiniani titulo III. IV. V.
VI. VII. VIII. IX. eratiorum.
14. Hanauer, Ioh. Matthaeus: De pulchritudine architec-
tonica.
15. Hanauer, Iohannes Gessner: De signis Martis dominibus
Satis
16. Hanauer, Iohannes Hermaeus: De prorogatione
jurisdictionis
17. Kaeselius, Georg. Biroler: De actionibus
mixtis et non mixtis
- 18¹. 6².
Kraemer, Iohannes Gottlieb: Voco, quod
jurum est circa salaria re horaria dñi.
Cattorum.

19. Kraunus, Fr. Gottfr.: De jure degradationis canonicæ ejusque usq; in foris protestatione

[9^a] Borges Christoph Mus. de: Ordinis jure consolatorem . . . decanus: ad dissertationem inauguralem . . . Dr. Christiani Stahlkopffii . . . iuriat [in den Disputationen, da mit Nr. 7 identisch]

20. Mandel, Gottfr. Ludv.: De pectorio possessorio mundum finito in Iesuia Electorali nostre gressu instructuendo

21st Schrammbergius, Janus Gottfr.: De traditione symbolica 2 Exempl.

22. Salmer, Fr. der. Phil.: Discorso logico ac matheseos nova et applicacione procep-
tuum logicorum in Descriptione mathematica.

23. Schrader, Ernest. Christ.: Doctrina socraturam universalem Speciationem consideratum.

24. Schmetterl, Ernest. Christian: De rebus factis operibus.

Pri. 35. Marga. 23.

24.

EXERCITATIO
IVRIS SAXONICI ELECTORALIS
DE
NEGOTIIS QVAE A MVLIERE
SINE CVRATORE
IN SAXONIA EXPEDIRI
POSSVNT *1727* *2.*

Q. 252
*Ord. Sax. Elect. Iudic. Recogn. Tit. VIII. §. 3. et
occas. Mandati Regii de ao. 1722. No. XII.*

QVAM
PRAESIDE

26.

**GEBHARDO CHRISTIANO
BASTINELLERO**

ICTO SAC. REG. MAI. POL. AC PRINC. ELECT.
SAXON. A CONSIL. AVLAE ATQUE IN CVRIA PROVINC. ET CON-
SISTORIO ECCLES. ELECTOR. SAX. CODICIS PROF. PVBL.



SCABINATVS ET FACVLTAT. IVRID. ASSESSORE
PATRONO SVO AETATEM SVSPICIENDO
IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
AD DIEM *JANVAR. MDCCXXVII.*
IN AUDITORIO ICTORVM
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT
AVCTOR ET RESPONDENS
HEINRIC. GVILIELMVS CONRADI
REICHENB. VARISC.

VVITTEMBERGAE
LITERIS CHRISTIANI ZIMMERMANNI ACAD. TYP.





DE
NEGOTIIS QVAE A MULIERE
IN SAXONIA SINE CURATORE
EXPEDIRI POSSUNT

Thef. I.



Mulieris nomen latissimam habet significationem, et comprehenduntur sub eo omnes, quaecunque sunt sexus foeminini, l. 25. c.
9. ff. de auro argento, mundo etc.
l. 14. §. 7. ff. de aedilit. Edict.
In hac posteriori lege 1Ctas generalem et specialem Mulieris significatum coniunxit, dum ait: *Mulierem ita arctam, ut mulier fieri non possit, sanam non uideri.* Quamobrem Mulier denotat modo puellam l. 81. §. 1. ff. de legat. 3. modo uirginem uipotentem l. 13. pr. ff. de V. & atque ipse Christus matrem suam, quamvis uirgo esset, *yuniv.*, siue Mulierem, appellauit, Ioh. 2. v. 4. modo uxorem et maritatem foeminam l. 72. pr. ff. de iur. dot. l. 3. pr. ff. de leg. 3. Nos in praesenti sub Mulieris appellatione intelligimus foeminas tam mariatas, quam nondum nuptas.

A 2

Thef.

Thes. II.

Dum uero de Negotiis, a muliere sine Curatore expediendis, loquor, id antea notandum est, ut solum ea intellecta uelim, quae et quatenus in Saxonia geruntur. Quod si enim quilibet actus perinde, ut eius quoque ualor, aestimandus est ex loci consuetudine et obseruantia, in quo est celebratus, arg. 1.6. ff. de Euict. l. 31. §. 20. ff. de aedil. ed. et l. 9. C. de Testam. consequitur, leges Saxonicas ultra fines Saxoniae non extendi debere, ut ideo contratus a foemina Saxonica, in loco extra Saxoniam sito, et secundum eius statuta sine Curatore initus, firmus ualidus que maneat. CARPZ. p. 2. C. 15. d. 6. PHILIPP. ad Dec. Elect. 24. Obs 2. n. 4.

Thes. III.

Neg ., quae mulieres in Saxonia absque Curatore expedire dicuntur, sunt eiusmodi, ut aut actus *interiuos*, aut actus *ultimae voluntatis*, complectantur. Regulariter enim qualibet foemina in Negotiis iuridicis jure Sax. adhibere tenetur Curatoris auctoritatem. Neque haec juris Sax. Constitutio ab antiquo Romanorum majorum, Romae obtinuisse, auctor est VLPIANVS, qui in fragmentis Tit. XI. princip: ita ediderit: *Tutores constituantur tam masculis, quam foeminis, sed masculis quidem impuberibus duntaxat, propter actatis infirmitatem, foeminis autem tam impuberibus: quam puberibus, et propter sexus infirmitatem, et propter forensium rerum ignorantiam.* Et quamuis Illustris de BERG. in Oeon. Iur. Lib. I tit. 4. §. 6. not. 1. p. 173. neget, muliebrem tutelam Iure Ciuli cognitam fuisse, dum tamen ad argumentum l. 3. C. de renoc. donat. prouocat, magis ad recentius, quam anti-

antiquius, jas respexisse, et de illo id asseruisse uidetur. Muliebris curae rationem ULPIANVS ponit in sexus, adeoque naturae foeminae, imbecillitate, cum quo etiam conuenit illud Diui Pauli effatum *i. Pet. 3. u. 7.* Sed quemadmodum hic sacri Codicis textus secundum vulgi opinionem scriptus, et secundum eam explicandus est, ita imbecillitatem foeminarum educationi potius quam sexus naturae adscribendam esse puto, suffragante BEYERO in *Delin. Instit. jur. Civ. Tit. de Legitima tutela pos. 7. not. K.* De hoc muliebris tutelae argumento videas SCHILTER. prolixius disputantem *Exerc. 37. lib. 222. seqq.* Hanc mulierum tutelam non adeo multum utilitatis continere, rati sunt Romani, atque haec fuit causa, cur haec tutela subsecutis temporibus apud eos in desuetudinem abierit. Quamvis uero non minus Ordines Sax. Illustris, in Comitiis an. 1699. institutis, de hac tutela muliebri abolenda cogitarint, ob uarias rationes, uariaque incommoda, quae ex illa oriuntur, quae late recenset Illustr. de BERGER in *Elect. disc. forens. Tit. 8. Obj. 1. n. 2. pag. 288.* nihilosecius tamen haec cura et sollicitudo procerum Sax. effectu destituta fuit optato, et mulierum cura adhuc usque ad id temporis pristino ualori est relicta. Sed cum nulla regula facile ab exceptione sit immunis, ita illa necessitas curatorem in negotiis expedientis adhibendi, mulieribus imposta, pro uarietate casuum et circumstantiarum laxior redditur et remissior. Nec pauci existunt casus, qui legis huius rigori subducuntur, et in quibus foeminis, etiam non adhibito Curatore, libertas agendi est concessa.

Thes. IV.

Quo accuratius procedamus, actus mulierum fin-

A 3

gulos

6 DE NEGOTIIS QVAE A MULIERE SINE CURATORE

gulos distincte consideremus, necesse est. Et primo omnium occurunt actus *ultimae Voluntatis*, in quibus liberum mulieres habent arbitrium, et, cum nihil damni exinde consequantur, sed ultimum elogium, quando commodum iis est uisum, reuocare queant, nulla Curatoris agent opera. Atque de testamento hoc est certum, modo annum 12. adimpleuerint foeminae 1. s. ff. qui *testam. fac.* possit. Haec enim pubertas in sexu sequiori adeo requiritur, ut testamentum, a foemina impubere conditum, ipso iure sit nullum, neque hunc defecum auctoritas tutoris adhibita purget aut suppleat. RICHT. Dec. 27. n. 30. 1q. At enim uero num foemina, quae pubertatis annos adimpleuit, donare possit *mortis causa*, ad hoc tempus usque inter DD. fuit disceptatum VVESEN. in Parat. de mort. caus. donat. n. 4. SCHILT. exerc. 43. tb. 31. Alii plane sunt insiciati, donationem m. c. a muliere in Saxonia sine Curatore factam ualere, tum, quod donatio m. c. contractus speciem, si formam ineundi spectes, sustineat, tum, quia licet donatio quolibet tempore reuocari queat, melius sit, ut causam suam integrum et saluum foemina retineat. Contrarium, quod et uerius uidetur, assertuit RAVCHBARVS p. 1. qu. 32. et cum illo Illustr. DE BERGER in Oecon. iur. Lib. 2. tit. 2. §. 27. n. 3. ea propter, quia plane nullum praejudicium ex hac m. c. donatione mulieribus emergit. Interim tamen non inepte, et melioris cautionis ergo, a quibusdam DD. necessitas consensum Curatoris adhibendi restricta fuit ad eam m. c. donationem, quae cum rerum traditione, et sic cum aliquo periculo mulieris, coniuncta est. SANDE in Dec. Frisi. Lib. 2. tit. 5. def. 4. atque ad eum casum etiam SCHIL-

SCHILTERVM respexisse arbitror, cum putat, melius esse, ut foemina rem teneat, quam reuocet. Neque scio, neque persuasum habeo, an fluctus DD. atque sententiarum diuertia, in hoc iuris articulo suborta, componi potuissent, nisi iis finem fecisset AVGVSTISSIMVS Legislator, dum in mandato, anno huius seculi 1722. promulgato, et Ord. Proc. Illustr. sub No. XII. subiuncto, liberam donandi facultatem mulieribus permisit. Cum itaque Verbum *donare* generaliter sit positum, nullum est dubium, donationem m. c. etiam sub eo comprehendi, imo, cum mulieribus nuptis concessum sit, ut de bonis receptitiis, tam inter viuos, quam m. c. pro libitu disponere possint, quis, nisi sobriae interpretationis uel negligens, uel plane ignarus, serio negabit, hanc m. c. donandi facultatem solitis mulieribus non esse tributam. Quae hactenus sunt dicta, ad foeminas *solutas* tantum applicari possunt, siquidem maritatae foeminæ de bonis suis in mariti præiudicium testari nequeunt, nisi habent bona aut immobilia, aut receptitia, aut nisi consecutae fuerint a maritis disponendi m. c. facultatem uid. Mand. Reg. No. XII. uerb. Und hat es übrigens, was bona Receptitia anbelanget/ worüber sich die Ehe-Weiber die völliche Disposition inter viuos et mortis causa vorbehalten, darbey, daß ein Ehe-Weib sich wegen derer selben, ohne ihres Ehe-Mannes, und so viel das Fahrmäß betrifft, auch ohne eines andern Curatorum Einwilligung, verbindlich obligiren möge, sein bewenden.

Thef. V.

Quosnam actus inter viuos mulieres sine Curatore ualide gerant, melius expediri haud potest, quam si iudiciales ab extra-iudicialibus discernamus. In iudicio
foe-

8 DE NEGOTIIS QVAB A MULIERE SINE CURATORE

foeminae sive sint extraneae, sive indigenae, sive Christianae, sive falsae addictae religioni, sive atricis, sive reae obtineant partes, sine ullo discriminere nihil valide agunt. Sunt quidam DD. qui propter textum Iur. Prouinc. Sax. Land-N. lib. 1. art. 46. Jungfr. u. Frauen müssen Vore minder haben an allen ihren flagen, it. propter art. 63. lib. 2. Es mag kein Weib ohne Vormund flagen, opinionem hanc tuerentur, quod mulier eo in casu, cum agit, Curatorem adhibere in judicio debeat, non uero, si partes rei, quae in dubio fauorabiliores, nec laesioni tam obnoxiae sunt, quam actoris, subeat COLER, P. 1. Dec. 67. Nos hanc controuerſiam juris Saxon. commun. non immerito omittimus, et indistincte asserimus, mulierem in judicio Electorali litigantem, sive conueniat aliquem, sive ipsa conueniatur, necessarium habere Curatoris adjumentum. Prostant hanc in rem expressa uerba Electoris Serenissimi in Const. 15. p. 2. So constituiren und ordnen wir, daß hinsucho Witwen und Jungfrauen, ohne Unterscheid des Alters, in allen rechtlichen Processen, sie halten gleich Klägerin oder Vefl. statt, ohne Vormunden nichts beständiges handeln mögen.

Thef. VI.

Hanc legem Electoralem DD. ita interpretati sunt, ut negotia, a muliere in iudicio sine Curatore expedita, tunc infirma atque inualida esse putarent, cum praeiudicium eius continerent, secus, si commodum eius in iis esset promotum. Illustr. DB BERG, in Elect. disc. for. tit. 8. obs. 2. Solennitatem enim, in fauorem alicuius introductam, non debere in eius odium detorqueri, pro ratione, in iure satis fundata, uenditabant l. 6. C. de Legibus. BRVNNEM. ad §. 2. in fin. Inst. de Autor. Tut. At enim uero longe alia fuit ipsius Sereniss. Legislatoris mens atque sententia, quam nunc satis express-

expressis uerbis manifesto declarauit in Ord. Proc. illustr. Tit. VIII. §. 3. Außer dem aber soll ihnen allerseits alleine et was/wenn es auch gleich zu ihrem Besten gereichen könnte, vor Gerichte zu handeln nicht nachgelassen seyn.

Thes. VII.

Exciplunt ab hac Curatoris adhibendi necessitate DD. foeminas *illustres natu*, quae iurisdictionis simul exercent iura. Cum enim hae munus iudicis obire possint, quidni personam standi in iudicio, et facultatem negotia ibi expediendi, habeant? CARPZ. P. 2. C. 15. def. 9. Deinde ipse Legislator exceptas uoluit foeminas quoad causas matrimonii, quippe quae in termino, compositioni amicabili tentandae praefixo, in fauorem matrimonii sine curatore tractari possunt O. P. R. Tit. VIII. §. 3. Illud ad causas impraegnationum non extendi posse, existimat RIVINV\$ ad O. P. Tit. 8. Enunc. 4. sed contrarium solidius demonstrauit Ill. de BERG. in Elect. Proc. Matrim. thes. 17. Nimurum in omni causa impraegnationis alternativa est petitio, ut stuprator impraegnatam aut dotet, aut ducat, et posterius membrum petitionis quamlibet causam stupri facit matrimoniale, uid. LVDOVICI Einleit. zum Consist. Process, Cap. VI. §. 6.

Thes. VIII.

Non minus foeminae, quae commerciis operam dant, intuitu eorum sine curatore in iudicio admittuntur, §. 3. Tit. 8. O. P. S. I. Quod si tamen spes litis compendiae euentum successumque debitum non habeat, ad ulteriores actus iudicij Curatorem adhibere iubentur. Denique permissum est foeminis, sine Curatore expedire actum judicialem, si periculum, ut aiunt, adsit in mora eod. §. 3. cit. tit. Inde colligi potest, fatalia a mulieribus

B

abs-

10 DE NEGOTIIS QVAE A MULIERE SINE CURATORE

absque Curatore obseruari posse, u. g. appellationis interponendae, apostolorum redimendorum, alia. RIVIN. ad Tit. VIII. Ord. Proc. Enunc. I. Imo in arresto, si necessitas postulet, petendo et impetrando, eas non repelliri, contendit CARPZ. Proc. Tit. 5. art. 3. n. 70.

Thef. IX.

Noto hic praeterea, actus, qui *personalissimi* dicuntur, a solis mulieribus, remoto Curatore, in iudicio suscepitos, non esse inualidos, ueluti, cum testimonium dixerint, uel iuramentum praestiterint, SEEBACH. in *Dif- f. de iure foeminae litigantis in foro tum Cini, tun- saxonico, th. 4.* RIVIN. Enunc. 24. tit. 26, quae ratio quo- que eo ualet, ut foemina, delicti rea, si ad articulos uel interrogations respondere, aut in processu ordinario item contestari, debet, Curatore haud egeat. ill. deBERG. in *Elect. disc. Forens. tit. 8. Obj. 4. n. 5.* Enim uero inter- est multum, ut iudex ex ipsa muliere, eiusque multu, si- gnis et uerbis, ueritatem criminis commissi eliciat. Nam in delictis nulli, ne minori quidem, cui mulier est aequi- parata, subueniri solet, L. 9. §. 2. ff. de minoribus. Idque in Saxonia asseruari, constantissimus fori usus testis est, ma- xime, cum legi penult. §. 1. ff. de publ. indic. in Saxonia nullibi derogatum reperiatur, CARPZ. in *Tract. de iur. foeminar. singulari Dec. 9. pos. 5. n. 27.*

Thef. X.

Dictum fuit, mulieres iure Saxon, minoribus compa- rari. Inde DD. concludunt, quod, quibus in actibus minores in iudicio Curatorem necessarium non habent, in iis quoque expediendis soleae mulieres absque Curato- re admittantur. Iam uero constat, minores in momen- taneo possessorio, siue retinendae, siue recuperandae pos- ses-

fessionis, personam standi habere in iudicio *L. ult. C. qui leg. person. si and. in judic. et ibi PEREZ n. 6. 4. 8. C. unde VI.*, item in priuilegiatis causis, ueluti alimentorum *L. I. C. de alim. pupill. praefit. COLERVS de alim. lib. 3. C. 3. n. 5.* Hoc itaque prudentes etiam ad mulieres accommodant, hisque in causis foemini facultatem in iudicio comparendi concedunt. SEEBACH. cit. *Dissert. 20.* Id praeterire non possum, in actibus judicialibus tantum litigiosis mulieri constituendum esse Curatorem, non uero, si actus uoluntariae jurisdictionis, v. c. insinuationem testamenti, uel donationis, expediat. Tandem mulier maritata Curatorem, cuius locum maritus occupat, recipere haud tenetur. Quod si tamen Curatorem habeat, idque in iudicio dissimulet, actus, sine eo gestus, nihilo secius ualeat, quamvis exinde mulieri damnum emergat, O. Pr. Ill. *Tit. 8. §. 1.* Hanc uero leuitatis coercendae poenam non legis durtitiae, sed malevolentiae suae ac proteruitati, tribuat,

Thes. XI.

Progreddior ad actus extrajudiciales, in quibus distinctione obseruanda, num foemina maritata sit, an non, item an res sint mobiles, aut immobiles. Facilioris autem tractationis et cognitionis causa tres conficiam regulas. Prima haec esto: Mulier soluta de rebus suis immobilibus liberam absque Curatore habet statuendi potestatem. Altera uero eoredit, ut mulieri necessum sit, rerum immobilium alienationibus adhibere Curatoris autoritatem. Tertia ita est comparata, ut mulieri maritatae omnem uim ac facultatem in rebus suis administrandis et alienandis deneget. Quas positiones explicatius et clarius ut exponamus, non solum operae pretium, sed necessitatis quoque esse uidetur.

B 2

Thes. XII.

Thes. XII.

Netamen haec tria axiomata, nostro ex ingenio natura, putes, ipsius legis sanctione ista communiamus. At uero offenduntur haec in Mand. REG. Elect. Ord. Pr. sub num. XII. annexo manifeste probata. Atque huius Mandati uerbis singula nostrarum thesium capita declarare atque illustrare satagemus. Primum Axioma continebat: mulierem arbitrium habere liberum absque Curatore disponendi de rebus mobilibus; Ita enim in citato Mandato: Sezen, ordnen und wollen wir demnach hiermit, daß hin-fuhr den lebigen Weibes-Personen, welche ihre mündige Jahre erreicht, auch außer dem Fall, wenn sie etwas verschaffen, oder Handlung treiben, nachgelassen seyn solle, ihres Fahrnißes halber, worunter jedoch die gesammte Grade nicht zu verstehen, sich ohne Curatore verbindlich zu machen, und damit nach Gefallen zu gebahren.

Thes. XIII.

Quod Mandatum id praecipue requirit, ut foemina, si valide agere uelit, ad legitimae aetatis annos peruenierit, i.e. annum 21. excesserit. Nam haec dispositio iuris Saxon, ex eiusdem principiis est declaranda. Adde, modo etiam mulier, quae mutuam pecuniam accipit, patris sacra egressa sit, ne ei in hoc Contractus genere obstat Senatus-Consultum Macedonianum. Neque minus hic attendi mereatur, ne libera mulierum dispositio de rebus suis contra leges in prodigalitatem degeneret. Eo enim in casu actus, luxuriose gestus, nihilo magis ualeat, quam Negotium, a prodiga contractum *l. 15. pr. ff. de Curat. furios.* Quemadmodum enim uniuersae reipublicae interest, ne ciues dilapident bona sua, ita etiam mulieris arbitrium de rebus suis disponendi est restringendum, ut ne in sui detrimentum extre-
mum

mum, insimulque in reip. periculum, abeat. Aequitatis igitur rationem Augustissimus Legislator secutus uidetur, dum in mandato Wieder das Aufborgen junger Leute, quod extat sub No. XXVI. ad Ord. Proc. ita cauit, ut prodigalitatis uitio modus ac obex poneretur, quo maxime pertinet §. 7. Dass, wenn sie in zuverlässige Erfahrung brächten, und wahrnehmen würden, dass einer oder der andere, und zu- mahl von Jungen Leuten, wes Standes oder Condition dieselben auch seyn möchten, das Ihrige siederlich durchbrächten und verschwendeten. ic.

Thef. XIV.

Quae omnia si rite obseruata fuerint, dubitari non potest, contractum, a muliere de rebus mobilibus initum, non solum seruandum esse, sed etiam tantam uim habere, ut, licet postea nubat, executio in eius bona, quamuis in dotem data, fieri posit, neque maritus eam sub praetextu iuris sui dotalis auertere queat. Nam bona, quae ante, quam marito in dotem data, obligata fuerunt, non intelliguntur, nisi deducto aere alieno l. 72. pr. ff. de jur. dot. l. 39. §. 1. ff. d. V.S. GVIDO PAPA decif. 447. Hinc porro sequitur, foeminas, etiam non mercatrices, sine Curatore ualide donare, mutuum accipere, pecuniam mutuo datam exigere, desuperque apocham reddere, pignus constituere posse, et quae id sunt generis alia, de quibus ingentes inter DD. antea fuerunt dissensiones exortae, uid. III. de BERG. oeon. Lib. 1. Tit. 4. §. 6. n. 4.

Thef. XV.

Caeterum haec rerum mobilium distrahendarum libertas, mulieribus in Saxonia permissa, non tam uaga est, quin non certis sit circumscripta limitibus. Prima enim licentiae luxus est restrictio in rebus geradicis, quas mulier non,

nisi

nisi praesente curatore , alienare ualeat, id quod in allegato mandato his uerbis declaratur : Vorunter doch die gesamme Gerade nicht zu verfcheiden. Neque opus est, ut hic subtiliter distinguas, utrum in judicio alienatio geradae sit celebrata, an extra judicium, quemadmodum quidam fecerunt. Sane frustranea est haec distinctio et plane inutilis, indistincte enim utroque in casu, Curatorem a muliere adhiberi oportere, jubent leges Saxonicae ELECTORAL. CONST. xiv. P. II. et DEC. xxii. Quid uero causae est, cur mulier, cum cetera bona mobilia sine Curatore ualide distrahat, necesse habeat, ut in rebus geradicis alienandis curatoris auctoritatem adhibeat? Certe aliam haud scio, nisi quod res geradicæ uel naturam pretiosorum habeant, et ita immobilibus comparentur l. 22. pr. C. de admin. Tit. MART. COLERVS P. 2. Dec. 286. 48. uel quod speciem uniuersitatis ad exemplum gregis, uel peculi, referre videantur, arg. §. 18. et 20. Inst. de Legat. (a) Hinc quoque est, quod Gerada a tute, nomine pupillæ, alienari haud queat, sed ille contratus perinde, ut rerum immobilium, sine causa sufficiente et auctoritate Magistratus non subsistat RICHTER P. 1. Der. 3. num. ii. CARPZ. P. 2. Conf. 14. Def. 69. Quemadmodum enim mulier super haereditatem, tanquam uniuersitate rerum, non habet jus transfigendi, sed opus est, ut auctoritas Curatoris accedat, ideo, quod insignius periculum, ex uniuersitate alienata, mulieri est metuendum; ita ob candem rationem foeminis de rebus geradicis disponendi admittum est arbitrium, CARPZ. P. 2. Conf. 15. def. 22. Limitat tamen hoc illust. DE BERG. ad obseru. 4. P. I. Suppl. Tit. 8. ut existimet, alienationem geradae, absque Curatore suscepitam, tunc demum effectum habituram esse, si quando eam mulier iuramento confirmasset, cuius insententiam, cum sit aduersa legis sanctioni, contra quam iuramentum,

actui

actui per se inualido adiectum, nihil ualeat, ire nequeo. Hoc uero facilius mihi persuaderi patior, prohibitionem geradae distrahendae ad res singulas geradicis extendi minime posse, quin mulier unam alteramue sine Curatore non rite uendit. Prohibitio enim haec cum de rebus geradicis, collective sumtis, loquatur, ad res singulatim in gerada contentas, proferri nequit, conf. SEE-BACH. introduct. in iuris et polit. atrium per uiam Logic. P. 2. §. 33. p. 33.

a) Ex hoo fundamento colligit. ill. de BERG. in *Oecon. jur. lib. 2. Tit. 2. S. 28. n. 35.* quodin dubio sub gerada uendita etiam res future comprehendantur, et geradae, tanquam uniuersali cuipiam, exemplo hereditatis accedant, nisi verbis restrictius geradae uenditio sit facta, ueluti: *Meine Gerade/ welche in dieser Specification enthalten.*

Th. XVI.

Obseruamus porro paedictae regulae aliam limitationem. Quamuis enim mulier libere circa res suas agat mobiles, tamen earum intuitu cambiali rigori se obstringere haud potest, nisi excipis eam, quae commerciis tractandis est dedita §. 11. append. ad Ord. Proc. MENCK. ad Tit. 8. ord. Pr. Disp. 6. §. 12. Quam mirifice autem in hoc iure statuendo tam a DD, quam a Legislatore, variatum fuerit, pluribus exponit RIVIN. in *Specim. Except. Förentz. C. 8. n. 4. slegg. et ex eo LVDOVICI in Wechsel Procesi C. I. §. 7. et 8.*

Th. XVII.

Quoniam uero iura Prouincialia, maxime nouiora, ita explicanda esse, putant prudentes, ut ne nimium a iure communirecedant, neque iuri singulati derogent. *Cap. cum dilectus 8. X. de consuetud. HARTM. PISTOR. L. 2. P. 2. Qu. 19. n. 47. et 48.* cum leges generaliores posteriores non tollant specialem priorem, SCHIOEPF. ad tit. ff. de Legibus

16 DE NEGOTIIS QVAE A MULIERE SINE CURATORE

gibus n. 13. consequens est, illud mandatum, quo libera rerum mobilium dispositio mulieribus est permissa, non derogare illis legibus communibus et singularibus, quibus mulieri interdictum est fideiubere, tot. tit. ff. de Scto Vellei. Conf. 16. P. 2. Hinc ergo intrepide concludo, mulierem in actu fideiussionis auctoritate Curatoris esse adiuuandam, hancque stipulationem, Curatore absente, omni iuris praesidio destitui. Accedit et illud, derogatio- nem legis nunquam praesumi, nisi uel lex ipsa expresse de- roget, uel circumstantiae aliad suadeant, aut notam muta- ta prioris legis afferant, quod utrumque in nostra sanctione Saxon. deesse uidemus. Neque obiciat quis, muleris do- nationem, quacunque ratione factam, ratam esse aque saluam, et sic quoque fideiussionem. Enimuero inter hos duos actus multum intercedit discriminis. Genus e- nem mulierum alias auarissimum habetur PRVCKMANN. Vol. 1. Conf. 2. n. 60. unde quoque mulier donans, mon- stro similis, et miraculi instar, dicitur. FINKELTHAVS Obs. 80. n. 18. Cum itaque mulier, res non mediocris pretii donans, quod tamen raro accidere putant Impera- tores, l. 16. C. de donat. ante nupt. contra naturam sexus faciat, et huic uim inferre credatur, l. 33. §. 1. ff. de donat. int. vir. et uxor. Legislatores facilius potuerunt mulieri- bus largiri donandi facultatem, quam fideiubendi. Nam in fideiussionibus, cum spe se liberatum iri mulieres la- ctentur, et hanc ob causam tantam sollicitudinem non adhibeant, proximiiores semper sunt ad periculum, ut saepi- us deceptae ac circumuentae, bonis praeter opinionem spolientur atque exuantur.

Th. XVIII.

Denique animaduerto, utut integrum sit mulieribus inter uiuos donandi arbitrium, tamenob easdem, quas iam dixi

dixi, rationes ita restringendum uideri, ne excedat 500. solidorum quantitatem, quae, dum ad prodigalitatem facile delabi potest, iudicali confirmatione eget. Qua si destituatur, nihil certius est, eam, ut in aliis, ita praecipue in Saxonica muliere, quoad excessum nihil firmatis habere l. 30. §. ult. C. de donat.

Th. XIX.

Mulierem in Saxonia in rebus immobilibus, sine Curatore alienandis, nihil agere, summa erat regulae secundae. Dico in alienandis rebus, sive directo id fiat, sive per indirectum, ueluti oppignorationem. Pater uero hoc axioma ex contrariis uerbis allegati iam saepius Mandati de Anno 1722. Enimuero mulieribus tantum concessum est, de rebus mobilibus disponere, id quod uox: Gehähren: indicat. Verbum enim: bahren: nihil aliud significare uidetur, quam actualem alicuius rei translationem, unde baar Geld, id est, pecunia praeiens et numerata. uid. TITHERR. in Contin. BESOLDI sub uoce haarr. Exinde itaque uinculum consecutionis necessarium constat, quod facultas statuendi libere et sine Curatore de rebus immobilibus mulieribus nondum sit indulta, sed ad id temporis adhuc in prohibitorum numero haberi debeat. Cum uero mulieribus alienatio rerum immobilium, absque Curatoris consensu suscepta, interdicta sit, iterum sequitur, alios contractus, u. g. locationis conductionis, circa res immobiles celebrare, foeminis non esse prohibitum. Nunc quoque agendum foret de natura rerum immobilium, et altius esset repetendum, quae iuris intellectu ita dicantur, praesertim, cum, DD. sententiae circa eas in diuersas abeant partes, sed illud ne que temporis, neque instituti mei, ratio permittit, et ue- reor, ne, si harum rerum tractationem fusciperem, mea

C

exer-

18 DE NEGOTIIS QVAE A MULIERE SINE CURATORE

exercitatio in immensum excrescat, et iustos fines egreditur, quam ob causam etiam benevolum lectorem remitto ad ADRIAN. BEYERVM, qui in SCHVLTZ *Synopsi Inst.* Cap. 2. de Success. mariti, latius haec est interpretatus, ad BERLICHIVM, CARPZ. HEICHIVM, alios, qui exacte haec sunt prosecuti. Illud cautionis loco animaduertendum est, ut mulieres in alienatione harum rerum, dum in definienda natura DD. fluctuent, tutius in dubio opera Curatoris utantur.

Th. XX.

Putant tamen DD. contractum sine Curatore etiam tunc subsistere, si quando coram agnatis proximis initus, licet vel unus eorum praesens fuerit. Ill. de BERG. *Elect. Disc. Forens. Tit. 8. O. 7. not. 3. et in Suppl. eod. N. 3.* Consuetudinis huius receptae allegant rationem, quod agnati uices Curatoris quasi obeant, dum consilio mulierem adiuuent, et fraudi occurrant, *arg. pr. Inst. de legit. Agnat. tut. l. 1. pr. ff. de leg. tut. CARPZ. 2. 15. 18. BERLICH. 2. 17. 84.* quae sententia iam olim non omni controversia vacua fuit, quemadmodum ipse CARPZ. fatetur in *Defin. I. ad alleg. C. 15. P. 2. n. 6.* et ii DD. quos ibi adduxit. Cum vero Curatoris consensus in contractu mulieris, de forma et essentiali solennitate, quam per aequipollens admiseri non posse ex scholae regulis constat, requiratur, ita non immerito dubito, num alienatio rerum immobilium, sine Curatore, praesentibus quamvis agnatis facta, sit validia. Nec obsistit, eo in casu omnem fraudis, laesio- nisque suspicionem abesse, cum haec ratio nondum sufficiens esse videatur. Lex enim Saxonica recentior eos quoque actus, quos mulier in suum commodum sine Curatore suscipit, nullos declarat, et plane inutiles. *arg. Tit. 8. §. 3. ord. Proc. Illustr. et Mand. Sub N. XII.*

Th. XXI.

Th. XXI.

Neque uero contractui circa res immobiles, a muliere absque Curatore celebrato, exinde quid ularis et firmatis accedit, quod iureiurando mulieris sit communius. Evidem haud ignoro, compluribus DD. hanc opinionem, praeiudicis confirmatam, inoleuisse: Iuramentum, ut uinculum animae fortissimum, seruandum esse, quod sine periculo salutis aeternae seruari possit, uti a Pontifice C. 28. X. de iure iur. traditum. Sed quis, nisi Politiae prudentiae hospes sit, non uidet, quid mysterii et monstri Pontifices aluerint sub hac regula. Omnes enim Pontificum ausus eo progrediebantur, ut Legislatores Civiles perinde, ac Maiestatem Principum, funditus perderent, et pessundarent. Imo quis non intelligit, iuramentum, contra autoritatem Legislatoris praestitum, sine uulnere conscientiae seruari haud posse, cum obnientibus, et praecepta Superioris aspernantibus, periculum poenae imminere, grauiter pronunciet illud diuinum oraculum, Paulus ad Rom. Cap. 13. v. 1. 2. Neque huic opinioni patrocinatur argumentum Confes. Elect. 30. P. 2. in qua sancitum, per iuramentum clidi exceptionem laesioneis enormissimae. At enim uero huic laesioni quis pro lubitu renunciare potest, id quod tunc multo magis procedit, si uinculum iuramenti adiectum fuerit. Sed contractus prohibiti, uel sub quadam forma celebrandi, non magis ualent, quam matrimonium illegitime initum, iureiurando licet confirmatum, conf. LVDOV. dissert. de Abusu Brocardici: iuramentum seruandum esse, quod sine periculo salutis seruari possit. Hinc ergo asserere non uereor, negotium, rerum immobilium alienandarum causa sine curatore suscepimus, inualidum esse, nullumque habere effectum,

C 2

quam-

quamvis uinculo iuramenti fuerit firmatum. Melius est, et legi conscientiae conuenientius, superstitionem iurandi per se inualidi religionem descrere, quam iurum Maiestatem et religionem uiolare *L. 5. C. de LL.*

Thes. XXII.

Quemadmodum has duas regulae nostrae exceptiones minus accuratas esse demonstrauimus, ita lubrico etiam fundamento stare puto hanc limitationem, qua contractum mulieris, absque Curatore celebratum, ualidum esse existimant DD, si quando is, qui actui interfuit, mulieri postea a iudice Curator constituantur, CARPZ. *P. 2. C. 15. def. 32.* Eadem hic subest ratio inualiditatis atque nullitatis, quae in prioribus antecedentibus fuit obseruata. Et ponamus, eum, qui in negotio, a muliere contracto, ut spectator uel testis fuit, postea foeminae ut Curatorem confirmatum esse, quid quæso inde firmitatis contractus, forma in lege praescripta destitutus, et ita ipso iure nullus, consequetur. Neque retrotractionis fictione opus est, nisi Curatoris, post negotium iam contractum constituti, denuo accedat ratihabitio, ut ipse actus hoc modo quasi redintegretur. Plane aliud est dicendum, si foemina in celebrando contractu dolim adhibuit, eum forsitan, qui talis non fuit, mentita curatorem. Hoc enim in casu ob delicti odium contractui uires a jure tribuuntur, et mulier etiam in sui ipsius incommodum ac præjudicium obstringitur, *arg. leg. 2. §. 3. ff. ad Sct. Vellej. l. 2. C. si minor major. se. dix. et arg. §. 1. Tit. 8. Ord. Proc. illustr.* Nunquam enim iura decipientibus, sed deceptis, auxilium et praesidium praestare sunt solita, *MENCK ad Pr. I. C. et Sax. diff. 8. §. 12.*

Thes.



Thef. XXIII.

Aliam regulae secundae limitationem affert, et usu
receptram esse tradit, Ill. de BERG, in Oecon. lib. I. tit.
4. §. 6. not. 5. Nimirum hanc tenet opinionem, mulie-
rem bona immobilia sine Curatoris consensu, ad pias cau-
fas donare posse. Nam harum fauorem, Dd. tantum esse
arbitrantur, ut fauori libertatis comparari queat, et earum
intuitu, saepius contra leges uenire liceat, arg. §. 4. Inst.
dedonat: ibique Commentatores. Eodem modo contractus
matris, cum liberis initus, sine Curatore ualorem habet,
ideo quod non ex imbecillitate sexus, sed ex pietate et
affectione materna, celebratus censetur arg. l. 17. C. de
Postlim. Reuers. Dn. WERNHER. P. 6. Obs. 357.

Thef. XXIV.

Venio ad tertiam regulam, quae ejusmodi erat, ut
mulieribus maritatis, de rebus immobilibus juxta ac mo-
bilibus, disponendi potestas denegaretur, quamuis cura-
toris consensus solenniter accessisset. Verba alleg. Mand.
Von Verschreibung und Obligation der Weibes: Perso-
nen, clare atque manifeste id probant. Dahingegen Wir
die, von denen Ehe-Weiberu, bey Leb-Zeiten deren Ehe-
Männer, ohne dererselben, und anderer Vormunde, da ihnen
dergleichen absonderlich verordnet, Vorbewußt und Autori-
tät ausgestellte Wechsel-Briefe, auch andere Verschreibun-
gen und Handlungen an sich selbst, und ipso Jure, verge-
stallt ungültig erklären, daß solche, auch nach des Mannes
Tode, nicht vor verbindlich zu achten, und folglich, weder die
Wittwe, noch deren Erben, davon selvige, das Weib, nach
des Ehe-Mannes Absterben, nicht etwa agnosceret, oder sonst
sich anderweit verbindlich gemacht, daraus belanget werden
mögen, n. His itaque mandati uerbis contractum, absque
consensu maritorum et aliorum, si quos habent, Curatorum

22 DE NEGOTIIS QVAB A MULIERE SINE CVRATORE

initum, adeo nullum declarat Augustissimus Legislator, ut ille, licet denuo a foemina uiuo marito constituatur, aut iureiurando communiatur, nihilosecius ui iustae obligationis destituantur. Habet eiusmodi contractus mulierum, naturam atque imaginem mutui, a filiofamilias intuitu pecuniae contracti, quod nequidem post patris mortem, et ita solutam patriam potestatem, recipit uires, sed inualidum manet. Similiter foeminae eiusque heredes, ex contractu, inscio marito celebrato, cum effectu, mortuo licet marito, conueniri haud possunt, cum creditor ui Mand. huius Saxon. semper a iudicij limitibus repellatur.

Thef. XXV.

Dispositionis huius Saxonicae rationem non ex longinquo petas. Circumspectis enim omnibus, quae marito competunt, iuribus in bona uxoris, facile erit diiudicandum, uxorem constante matrimonio nihil iuris habere in bona in dotem data, quippe quorum dominium ad maritum pertinet, neque in paraphernalia, quorum usumfructum etiam maritus perinde, ut spem succedendi in bonis mobilibus, habet. Ne itaque in his rebus maritus, damnum subeat, hoc modo lege Saxonica cautum fuit, ut uxorum de his rebus statuendi arbitrium esset restrictum. At enim uero expediti iuris est, receptitia uxorum bona maritorum potestati exenta prorsus esse, ut neque ullum ius, siue dominii, siue usumfructus, siue administrationis, siue successionis, praetendere ualeat. Hinc fluit sua sponte, mulieribus de his bonis receptitiis libertatem disponendi plenam esse reli-

ctant.

ctam. Quam ob causam de iis, si mobilia, etiam non adhibito Curatore, ualide contrahunt, sin uero immobilia sunt, Curatoris, adhibent consensum. Mortis causa uero, de utrisque sine Curatore ualide constituunt; Id quod manifesto expositum est in citato iam Mandato. Und hat es ubrigens, was Bona Receptitia anbelanget, worüber sich die Ehe-Weiber die völliche Disposition inter uiuos et mortis causa vorbehalten, darbei, daß ein Ehe-Weib sich wegen dererselben, ohne ihres Ehe-Mannes, und, so viel das Fahrniß betrifft, auch ohne eines andern Curatorum Einwilligung, verbindlich obligiren möge, sein Bewenden.

Thef. XXVI.

Quoad caetera itaque bona contractus, non consentiente marito celebrati, inualidi manent, nisi forte maritus uxori circa quaedam bona contrahendi facultatem concesserit. Maritum enim fauori suo, pro se introducto, hac in causa renunciare posse, nihil dubitationis habet. Deinde ualere dicitur contractus uxorius, licet mariti consensus absfuerit, si quando probari queat, ea, quae ex contractu in uxorem profecta sunt, in eius utilitatem quoque uersa esse atque, hoc aequitatis rationem habet, ne mulieres cum aliorum damno locupletentur. Dico, in rem uersionem probandam esse. Hoc enim exigit Mandatum sub No. XIII. quod ad prius illustrandum ab Elect. Sereniss. editum est, et hanc continet summam. Und Wir denn geschehen lassen können, daß ein Gläubiger, in so weit durch seinen Vorschuß das Vermögen eines Ehe-Weibes realiter vermehret, und verbessert worden, mit seiner Klage zwar, jedoch anders nicht, als, wenn er in solcher, wie und auf was Maße die Verbesserung geschehen, mit deutlicher Anführung genugsam, zu deren Erhärtung dienlicher Umstän-

ständen exprimiret, weil außer dem er auch mit solcher Klage nach Besinden, entweder schlechterdinges, oder, angebrachter Maßen abzuweisen, gehöret werden möge. Vnde non sufficit, quod mulier in instrumento, licet iurato, confiteatur, contractum in utilitatem celebratum, uel ea, quae accepit, in rem eius fuisse uersa. Haec enim facilius scribuntur, quam probantur, accuratam uero et exactam horum uerba mandati desiderant probationem. Quae si non afferratur, ius agendi creditori aufertur.

Thes. XXVII.

Dictum fuit et probatum, consensum maritorum necessarium esse in contractibus uxorum, id quod tamē ex communi Dd. doctrina et opinione ita limitatur, ut non procedat, si contractus causam mariti propriam concernat, uel praeципue in fauorem mariti fuerit celebratus, uid. ill. de BERG. Oecon. Lib. 1. tit. 4. §. 6. not. 3. Quo circa eo in casu peculiarem curatorem constitui oportet, alioqui subsistere nequit. Quid uero censendum sit, si uxor et maritus in uno instrumento se principaliter obligarint, docet Autb. si qua mulier C. ad Scutum Vellej. Nouell. 134. c. 8. Scilicet muliere subducta, solus maritus tenetur. Quod si uero mulier principaliter se obligarit, maritus uero, in hanc obligationem consentiens subscripterit, tunc obligatio uxorii nihilominus ualeat, quamvis excipere uelit, eam esse palliatam, i. e. quod se in fauorem mariti obligauerit. Hoc enim probandum est, cum non praesumatur, et quoniam haec exceptio altioris, ut ajunt, indaginis est, in processu executio haud admittitur, sed rejicitur in reconvencionis judicium. conf. ill. de BERG. in Oecon. lib. 3. tit. 3. §. 8. n. 5.

FINIS.

Wittenberg, Diss., 1727 A. 50

ULB Halle
003 612 600

3



Sb.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

Pri. 35. Rura. 23.

2

EXERCITATIO
IVRIS SAXONICI ELECTORALIS
DE
NEGOTIIS QVAE A MVLIERE
SINE CVRATORE
IN SAXONIA EXPEDIRI
POSSVNT 1727 2

*Ord. Sax. Elect. Iudic. Recogn. Tit. VIII. §. 3. et
occas. Mandati Regii de ao. 1722. No. XII.*

P. 252 26.
QVAM
PRAESIDE
GEBHARDO CHRISTIANO
BASTINELLERO

ICTO SAC. REG. MAL. POL. AC PRINC. ELECT.
SAXON. A CONSIL. AVLAE ATQUE IN CVRIA PROVINC. ET CON-
SISTORIO ECCLES. ELECTOR. SAX. CODICIS PROF. PVBL.

SCABINATVS ET FACULTAT. IVRID. ASSESSORE
TRONO SVO AETATEM SVSPICIENDO
IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
AD DIEM 1ANVAR. MDCCXXVII.

IN AUDITORIO ICTORVM
PVBLICA DISQVISITIONI SVBIICIT
AVCTOR ET RESPONDENS

HEINRIC. GVILIELMVS CONRADI
REICHENB. VARISC.

VVITTEMBERGAE
LITERIS CHRISTIANI ZIMMERMANNI ACAD. TYP.